



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Prooemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## TRACTATUS V.

Tecum sapientia tua (Domine) quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. *Sap. 9.*

*Tandem ex dictis ostenditur, nihil prorsus temerè aut casu fieri, sed summo Dei iudicio, attentione, & ratione. Rationum autem percipiendarum, humanam mentem capacem non esse, liquido demonstratur.*

## P R O O E M I V M.



Tandem aliquandò ingentem de Deo opinionem imbibemus; & quidem rationibus ijs inducti, quas admirari quidem possumus, intelligere planè non possumus. Neque hoc tamen à nobis alienum est: id enim etiam humanis in rebus vsu-venit; miramur, ea quorum rationes causasque non percipimus; vt autem has intelligimus, ea mirari deinceps desinimus. Stupore defixos tenent artis ignaros, hydraulicæ fontium machinæ, arcus, irides, stellæ, bullæ, pluuiæ, vitrorum imagines, quæ per compressam fistulis aquam, iucundo sanè artificio efformantur: vt verò ars innotuit, cessat stupor. Idem in Diuinis prorsus accidit; quò altiora videntur ea quæ diximus, quæque dicturi sumus porro, rursus quò ea percipitis minùs clarè, obscure modò si percipitis, hòc ego id quod volo assequor feliciùs. Tantùm enim id probare est animus, eam esse Diuinæ Sapientiæ præstantiam, vt eam assequi nulla mentis acies possit. Quid deinde inquires? quid inde consequar?

Illud

Illud certè; tantæ Menti, vt summâ alacritate submissurus sis animum, suis tantùm opinionibus inquietum; fasturusque liquidò, non eum esse te, qui de mundi ordinatione, singularibusque casibus iudicium possis ferre. Hoc igitur agam modò, percursisque strictim Diuinæ Sapientiæ voluminibus, ostendam *primò*, quo pacto totâ illâ scientiâ, in rerum dispositione vtatur Deus. *Deinde* quod hinc consequitur, nihil penitus casu fieri; studio autem designari vniuersa. *Tertiò* denique, nimium infirmæ mentis esse nos, quàm vt quidquam horum quæ obueniunt, possimus aut corrigere aut reprehendere.

## §. I.

*Proponuntur rursus breuiter, tres Scientiæ Dei, seu tres libri quibus Deus studet; vt inde deducatur nihil casu, sed studio fieri omnia.*

*Alio modo consideratur hæ tres scientiæ, tãquam tres libri aut potius Bibliotheca.*

*Quid in volumine simplicis intelligentiæ legat aut norit Deus.*

**V**No quasi oculo, cursim, & cæco modo circumspeximus arcanos libros Diuinæ Sapientiæ, in quibus ipsissima Theologia, hoc est quæ in Deo est scientia quanta-quanta est, tota comprehenditur & continetur. Neque vero idcirco, saltem aliquò vsque, apertos à me quis credat, quasi eos explicare præsumpserim, aut etiam penitus inspicere: *quis enim cognouit sensum Domini*, sensum inquam eorum, quæ Diuinis illis voluminibus continentur? Titulos tantum inspexisse sat fuit, vt haberem id, quod non satis humanum ingenium possit capere & admirari. 1.

Quis enim satis stupeat immensum illud primumque volumen; quid volumen dico? Bibliothecam inquam & quidem infinitam, *simplicis intelligentiæ Scientiam*, quâ omnes res possibles circumplectitur? In hoc certè volumine, infiniti milliones Mundorum descripti sunt & viuacissimè expressi, inter quos Mundus hic noster tantum vnus est. Et in infinitis illis Mundorum millionibus, infinita cognoscit creaturarum, non dico tantùm indiuidua, sed genera & species infinitas, inter quas totâ hominum species, tantùm est vnica. Rursus in singulis creaturarum speciebus, infinita intelligit indiuidua possibilia, quæ tamen in rerum naturâ nunquam futura sunt; infinitos Angelos præter 2.